judicium in caſtigationibus imitari, ſcilicet ad ſalutem, non autem ad perditionem, 22. q. 31. 2. *ad* 3.

2 Excommunicatis, & reipublicæ hoſtibus ſunt ſubtrahenda beneficia ut arceantur à culpa, ſic tamen, quod natura non deficiat, niſi ſecundum ordinem juſtitiæ, 22. q. 31. 2. *ad* 3.

3 Injiciens manus in clericum, ſeptempliciter non eſt excommunicatus, ſcilicet ſi cauſa diſciplinę, ut magiſter vel prælatus, ſi jocoſa levitate, ſi invenit eum turpiter agentem cum uxore, matre, ſorore, vel filia, ſi ſtatim vim vi repellat, ſi ignoret eum eſſe clericum, ſi inveniat eum in apoſtaſia, poſt trinam admonitionem, ut ſi transfert ſe clericus ad actum penitus ſibi contrarium, ut ſi fiat miles, vel ad bigamiam tranſeat. Et octupliciter poteſt abſolvi ab epiſcopo, ſcilicet in articulo mortis; quia tunc à qualibet excommunicatione poteſt quiſque à quolibet ſacerdote abſolvi, ſi ſit oſtiarius alicujus potentis, & non ex odio vel propoſito percuſsit, ſi percutiens ſit mulier, ſi ſit ſervus, & dominus læderetur de ejus abſentia, qui non eſt in culpa, ſi regularis, regularem, niſi ſit enormis exceſſus, ſi ſit pauper, ſi ſit impubes, vel ſenex, vel valetudinarius, & ſi habeat inimicitias capitales, *s.* q. 24. 1. *c.*

4 Participare cum excommunicatis, conceditur quintupliciter, ſc. utile, lex, humile, res ignorata, neceſſe, 22. q. 29. 4. *ad* 2. *s.* q. 23. 1. *c.*

5 Excommnnicatio major eſt ſeparatio à communione eccleſiæ quoad fructum & ſuffragia generalia, *s.* q. 21. 1. *o.*

6 Cum eccleſia in terris Dei vicem gerat, illiuſque judicium Dei judicio conforme ſit, rite excommunicare poteſt ſive peccatorem à communione eccleſiæ, ſive à ſuffragiis & aliis ſpiritualibus ſeparet, *s.* q. 21. 3. *c.*

7 Non poteſt eccleſia etiam pro peccato mortali aliquem excommunicare; niſi contumax fuerit, *s.* q. 21. 3. *c.*

8 Si excommunicatio injuſte lata ſit ex parte excommunicantis, nihilominus effectum ſortitur, at ſi ex parte excommuuicationis ita ut error ille irritam faciat ſententiam, nullius eſt effectus, *s.* q. 21. 4. *o.*

9 Cum quis pro falſo crimine in judicio probato excommunicatur, ſi humiliter ſuſtinet humilitatis meritum, recompenſat excommunicationis damnum, *s.* q. 21. 4. *c.*

10 Soli epiſcopi & majores prælati excommunicare poſſunt, qui habent juriſdictionem in foro judiciali, *s.* q. 22. 1. *o.*

11 Etiam non ſacerdotes poſſunt excommunicare, modo juriſdictionem habeant in foro contentioſo, *s.* q. 22. 2. *c.*

12 Excommunicatus vel ſuſpenſus non poteſt alium excommunicare, *s.* q. 22. 3. *o.*

13 Nullus poteſt niſi inferiorem excommunicare, cum excommunicatio ſit juriſdictionis, quæ exerceri non poteſt, niſi in ſibi ſubditos, *s.* q. 22. 4. *c.*

14 Tametſi ſinguli alicujus communitatis excommunicari ab eccleſia poſsint, nunquam tamen ipſa communitas, *s.* q. 22. 5. *o.*

15 Toties quis excommunicari poteſt, quoties eſt excommunicationis cauſa, *s.* q. 22. 6. *c.*

16 Licet fidelibus communicare excommunicato minori excommunicatione, majori vero minime, niſi ubi aliqua ſpiritualis commodi, vel legis vel neceſsitatis ratio ad hoc impulerit, *s.* q. 23. 1. *o.*

17 Participans cum excommunicato, excommunicatus quoque eſt, aliquando majori, nonnunquam minori excommunicatione, *s.* q. 23. 2. *c.*

18 Tantum participans excommunicato in crimine, vel in divinis, ſeu in eccleſiæ contemptum, peccat mortaliter, *s.* q. 23. 3. *o.*

19 Excommunicatum minori excommunicatione poteſt quilibet ſacerdos abſolvere, non autem majori, ſive ſit à jure vel ab homine lata; ſed ei qui ſententiam tulit, ſubjicitur, niſi in articulo mortis, *s.* q. 24 1. *o.*

20 Poteſt quis invitus abſolvi ab excommunicatione, cum ſit pœna non autem à peccato, cum ſit voluntarium, *s.* q. 24. 2. *o.*

21 Abſolutus ab una excommunicatione ab omnibus abſolutus intelligitur, ſi ſint ab uno judice latæ, niſi aliter fuerit expreſſum; non autem ſi ſint à diverſis judicibus factæ, *s.* q. 24. 3. *c.*

1 Excuſatio aggravat omne peccatum, 22. q. 13. 3. *ad* 3.

1 Semper perfectiſsimum eſt exemplar, quod imitatur minus perfectum, 3. q. 56. 1. *ad* 3.

2 Cauſa exemplaris eſt tantum exiſtentium; ſed cauſa finalis eſt etiam non entium, 1. q. 5. 2. *ad* 1.

3 Exemplata oportet conformari exemplari, ſecundum rationem formæ, non autem ſecundum modum eſſendi, 1. q. 18. 4. *ad* 2.

1 In operationibus & paſsionibus humanis, in quibus experientia plurimum valet, plus movent exempla quam verba, 12. q. 34. 1. *c.*

2 Ariſtoteles in Logica utitur exemplis, ſecundum opiniones aliorum. Ideo non habent auctoritatem, 1. q. 48. 1. *ad* 1. *&* q. 67. 2. *ad* 2. item 12. q. 59. 2. *ad* 1.

1 Exemptus peccans in re non exempta poteſt ab ordinario judicari, 12. q. 67. 1. *ad* 3.

1 Exilium non erat univerſale in veteri lege, ſed particulare, ne quis fieret idololatra, 12. q. 105. 2. *ad* 10.

1 Exitus in divinis eſt ſecundum ſolam diſtinctionem relationum, & ſecundum emanationem interiorem, & non ſecundum diſtantiam, 1. *q.* 42. 5. *ad* 2.

1 Exorciſmus non eſt ſacramentum, ſed eſt ſacramentale, 3. *q.* 67. 3. *ad* 2. *it.* *q.* 71. 3. *ad* 2.

2 Debet præcedere baptiſmum. Tamen ſi non præcedat, debet poſtea fieri, 3. *q.* 71. 2. *o.* item 3. *ad* 3.

3 Exorcizare pertinet ad ſacerdotem, & ad exorciſtam, 3. *q.* 71. 4. *c.* *ad* 1. item *ad* 2.

4 Ea quę fiunt in exorciſmo, non tantum ſignificant, ſed etiam efficiunt, 3. *q.* 71. 3. *o.*

5 Quandocumque aliquid ſanctificandum eſt ad cultum divinum, prius exorcizatur, ut liberetur à poteſtate diaboli, 3. *q.* 83. 3. *ad* 3.

6 Exorciſmus datur contra dæmonem, inquantum impedit homines à ſacramentis. Sed baptiſmus datur contra eum, inquantum impedit à gloria, 3. *q.* 71. 2. *ad* 2.

7 Quę fiunt in exorciſmo, ordinantur contra impedimenta baptiſmi, cujus effectus poteſt impediri ante ſumptionem baptiſmi, & poſt, 3. *q.* 71. 3. *ad* 3.

8 Effectus exorciſmi eſt debilitatio poteſtatis dæmonis, quia totaliter in baptiſmo auferetur, 3. *q.* 71. 3. *c.*

9 Effectus ejus duplex, ſcil. expulſio dæmonis, & apertio ſenſuum ad miniſteria, & mandata Dei, 3. *q.* 71. 3. *c.*

10 Sal miſſum in os exorcizandi, & narium, & aurium, ſputi linitio, ſignificat remotionem impedimenti dæmonis, reſpectu fidei docendæ, 3. *q.* 71. 2. *c.*

11 Exorciſmus non confert gratiam, nec remiſsionem culpæ. Ideo ſine baptiſmo exorciſmus nihil valet poſt mortem, contra Prępoſitivum, qui dicit, quod minores tenebras patitur, 3. *q.* 71. 3. *o.*

Expectatio eſt motus ſpei, propter cognitionem præcedentem reſpectu auxilii alieni, 12. *q.* 40. 2. *ad* 1.

1 Experientia proprie pertinet ad ſenſum tantum, ſed large pertinet etiam ad intellectum, ut in dæmonibus, 1. *q.* 54. 5. *ad* 2. it. *q.* 58. 3. *ad* 3.

2 Experientia in operabilibus non eſt potentia, & non ſolum cauſat ſcientiam, ſed etiam habitum, qui facit operationem faciliorem, propter conſuetudinem, 12. *q.* 40. 5. *ad* 1.

3 Qui accipit gratiam, per quandam experientiam dulcedinis, novit ſe illam habere, quam non experitur ille qui non accipit, 12. *quæſt.* 112. 5. *c.*

4 Illa quæ ſunt per eſſentiam ſui in anima, cognoſcuntur experimentali experientia, inquantum homo experitur per actus, principia intrinſeca, ſicut voluntatem percipimus volendo, & vitam ab operibus vitæ, 12. *q.* 112. 5. *ad* 1.

5 Verbum Abrahæ dictum, videlicet, nunc cognovi quod timeas dominum, poteſt referri ad notitiam experimentalem, quæ eſt per exhibitionem operis, 12. *q.* 112. 5. *ad* 5.

6 In opere illo quod fecerat Abraham cognoſcere potuit experimentaliter, ſe Dei timorem habere. Vel poteſt hoc etiam ad revelationem referri, 12. *q.* 112. 5. *ad* 5.

1 Extaſis eſt fieri extra ſe, ſecundum cognitionem vel ſecundum appetitum, 12. *q.* 28. 3. *c.* item 22. *q.* 175. 2. *ad* 1.

1 Extrema unctio cum ad peccatorum remiſsionem ordinetur, eſt ſacramentum, & non tantum ſacramentale, s. *q.* 29. 1. *o.*

2 Quamvis per multas perficiatur actiones, unum nihilominus ſacramentum eſt, s. *quæſt.* 29. 2. *c.*

3 Extremæ unctionis ſacramentum à Chriſto fuit inſtitutum, ſicut & cętera ſacramenta, ab Apoſtolis tamen promulgatum fuit, s. *quæſt.* 29. 3. *o.*

4 Oleum olivæ, cum ſit lenitivum ac penetrativum uſque ad intima ac diffuſivum, conveniens eſt materia ſacramenti extremæ unctionis, quod perfecta, & lenis ſanatio eſſe debet, s. *q.* 29. 4. *c.*

5 Oleum olivæ quod in extrema unctione aſſumitur pro materia, conſecratum eſſe debet, s. *q.* 29. 5. *o.*

6 Materia hujus ſacramenti per Epiſcopum conſecrata eſſe debet, s. *q.* 29. 6. *o.*

7 Determinata eſt forma verborum hujus ſacramenti, ſicut & aliorum, s. *q.* 29. 7. *o.*

8 Forma verborum hujus ſacramenti in oratione deprecativa perficitur, non autem indicativa, s. *q.* 29. 8. *o.*

9 Conveniens verborum forma eſt ea, qua Eccleſia utitur, ſcil. per iſtam ſanctam, &c. s. *q.* 29. 9. *c.*

10 Principalis effectus extremæ unctionis eſt ipſa peccatorum remiſsio quoad illorum reliquias, & maculam ſeu culpam, ſi eam inveniat, s. *q.* 30. 1. *c.*

11 Hoc ſacramentum non ſequitur corporalis ſanatio ſemper, ſed quando expedit ad ſpiritualem ſanationem, s. *q.* 30. 2. *o.*

12 Nullum imprimit characterem, cum per illud homo ad aliquod ſacrum peragendum non ordinetur, s. *q.* 30. 3. *c.*

13 Non poſſunt laici hoc extremæ unctionis ſacramentum conferre, ſicut baptiſmum in neceſsitatis articulo, s. *q.* 31. 1. *o.*

14 Hoc ſacramentum nullatenus licet diacono conferre, s. *q.* 31. 2. *o.*

15 Cum hoc ſacramentum cunctis exhibeatur, non modo per Epiſcopos, ſed per ſimplices ſacerdotes adminiſtrari poteſt, s. *quæſt.* 31. 3. *c.*

16 Sanis non debet conferri, quod quædam ſpiritualis animę curatio eſt, s. *q.* 32. 1. *o.*

17 Non quovis morbo laborantibus eſt exhibendum, ſed ad mortem proxime aliqua ægritudine affectis, *s. q.* 32. 2. *c.*

18 Furioſis, & amentibus quibus deſit devotionis affectus, nullatenus conferri debet, s. *q.* 32. 3. *o.*

19 Pueris conferri non debet, *s. q.* 32. 4. *c.*

20 Non totum corpus, ſed eæ dumtaxat humani corporis partes inungi oleo hujus ſacramenti debent, in quibus eſt aliqua ſpiritualis infirmitatis radix, *s.* 32. 5. *o.*

21 Quinque ſenſuum organica membra inungi præcipue debent in quibus eſt aliqua cognitionis radix, in nonnullis autem propter appetitivam, & motivam inunguntur renes ac pedes, *s. q.* 32. 6. *o.*

22 Mutilati inungi etiam in partibus illis mutilatis debent, quibus alias inungerentur, *s. q.* 32. 7. *c.*

23 Sine aliqua ſui injuria iterari poteſt, *s. q.* 33. 1. *c.*

24 Eadem infirmitate laborantibus, non ſecundum eumdem, ſed diverſum infirmitatis ſtatum, poteſt extrema unctio exhiberi, *s. q.* 33. 2. *o.*

1 Exufflatio in exorciſmo ſignificat expulſionem dæmonis, cui reditum præcludit benedictio, 3. *q.* 71. 2. *c.*

F

1 FAcere, & fieri, important habitudinem cauſæ, & effectus, ſed mutationem ex conſequenti, 1. *q.* 45. 2. *ad* 2.

2 Facere dicitur dupliciter, ſcilicet large omnis operatio, & proprie operatio tantum ad extra, 22. *q.* 134. 2. *c. ad* 1. *&* *ad* 2.

3 Factio eſt de materia exteriori, ſed generatio eſt de ſubſtantia generantis, 1. *q.* 41. 3. *c.*

4 Non omne quod facit majus, facit minus, niſi ſit ad illud ordinatum; * vel niſi in majori includatur minus, vel non poteſt facere quod minus eſt, ſi reſervetur minus, vel ſi minus ſit ad defectum, 22. *quæſt.* 189. 9. *ad* 3.

5 Quod homo faciat quod in ſe eſt, requiritur ad meritum in habentibus uſum rationis, non autem in carentibus uſu rationis, 22. *q.* 33. 2. *ad* 1. item 8. *ad* 3.

Facies Chriſti emittebat radios, 3. *q.* 44. 3. *ad* 1.

1 Factum duplex, ſcilicet divinum, & naturale. Primum præcedit potentia activa, & non paſsiva, natura; non autem tempore, niſi ſit novum; ſecundum vero utraque potentia præcedit, etiam tempore, 1. *quæſt.* 74. 3. *ad* 5.

2 Fieri & factum eſſe dicuntur de Deo, ſecundum rationem tantum, & ſine mutatione Dei, 1. *q.* 13. 7. *ad* 1.

3 Factum eſſe quandoque dicit novitatem prædicationis, ſine mutatione facti, 1. *q.* 13. 7. *ad* 2. item 3. *q.* 16. 6. *c. ad* 2.

4 Proſpicere facta aliorum bono animo, vel ad utilitatem propriam; ut ſcil. homo ex bonis operibus proximi provocetur ad melius, vel ad utilitatem illius, ut ſcil. corrigatur, ſi quid ab eo agitur, ſecundum regulam charitatis, & ſecundum debitum officii, eſt laudabile. Sed quod aliquis intendat ad conſiderandum vitia proximorum ad deſpiciendum, vel detrahendum, vel ſaltem inutiliter inquietandum, eſt vitioſum, 22. *q.* 33. 2. *ad* 3. item *q.* 167. 2. *ad* 3.

Facultas eſt poteſtas, qua aliquid habetur ad nutum, 1. *q.* 83. 2. *ad* 2.

1 Fallere contingit dupliciter, ſcil. occultando veritatem dicto vel facto, vel ſignificando falſitatem. Primum licet, non autem ſecundum, quia etiam hoſtibus debent ſervari promiſſa, fœdera, & fides, 22. *q.* 40. 3. *o.* item *q.* 71. 3. *ad* 3.

2 Homo faciliter fallitur in judicando in pertinentibus ad ſe, 22. *q.* 88. 2. *ad* 3.

1 Falſitas non eſt in ſenſu ſicut in cognoſcente, verum, & falſum, 1. *q.* 17. 2. *ad* 1.

2 Falſitas, & veritas ſunt primo in intellectu, in rebus autem per ordinem ad intellectum ſolum, 1. *q.* 16. 1. 2. *o.* item 3. *ad* 1. item 5. 6. 8. *c.* item *quæſt.* 17. 1. 3. *o.* item 4. *ad* 1.

3 Falſitas non eſt in intellectu reſpectu primorum principiorum, nec reſpectu quidditatis, niſi per accidens, reſpectu duplicis compoſitionis, 1. *q.* 17. 3. *o.* *&* *q.* 57. 1. *ad* 2. *&* *q.* 58. 5. *c.* *&* *q.* 85. 6. *o.*

4 Veritas, & falſitas, ut in cognoſcente, ſunt tantum in intellectu componente, & dividente, ſed ut re vera, ſunt etiam in ſenſu, & intellectu cognoſcente quidditatem, 1. *q.* 16. 2. *o.* item *q.* 17. 2. *o.* item 3. *c.*

5 Falſitas eſt in ſenſu reſpectu ſenſibilium communium, & reſpectu ſenſibilium per accidens, non autem reſpectu ſenſibilium propriorum, niſi per accidens, 1. *q.* 17. 2. *o.* item 3. *c.* item *q.* 57. 1. *ad* 2. item *quæſt.* 58. 5. *c.* item *q.* 85. 6. *c.*

6 Attribuitur phantaſiæ quia repræſentat objectum abſens, tanquam præſens, 1. *q.* 17. 2. *ad* 2. item *q.* 54. 5. *ad* 3.

7 Res non dicuntur falſæ, reſpectu intellectus divini, ſed reſpectu intellectus noſtri, 1. *q.* 17. 1. *c. ad* 3.

8 * Res dicitur ſimpliciter vera vel falſa tantum ab intellectu, à quo dependet, ut res naturalis à divino, & artificialis á noſtro, 1. *q.* 16. 1. *c.* item *q.* 17. 1. *o.*

9 Res naturales dicuntur falſæ per accidens, & ſecundum quid, reſpectu intellectus noſtri dupliciter, ſcil. ſecundum rationem ſignificati, & ſecundum rationem cauſæ, 1. *q.* 17. 1. *c.*

10 Res dicitur vera vel falſa, ratione veræ vel falſæ æſtimationis, quam nata eſt facere de ſe, quoad ea quæ exterius apparent in ea, 1. *q.* 17. 1. *c.*

11 Res ſecundum id quod eſt, dicitur vera; ſecundum quod non eſt, dicitur falſa, 1. *q.* 17. 1. *c. ad* 1. *&* 4. *ad* 1.

12 Malum ſimpliciter eſt in rebus, non autem falſum, ſed ſecundum quid, 1. *q.* 17. 1. *c.* item *q.* 48. 2. *o.*

13 In Deo nulla eſt falſitas, ſed tantum veritas, 1. *quæſt.* 17. 4. *ad* 3. item 22. *q.* 171. 6. *c.*

14 Homo dicitur falſus, quia amat falſas opiniones, vel locutiones, non autem quia poteſt mentiri, 1. *q.* 17. 1. *c.* fin.

15 Peccata dicuntur falſitates, vel mendacia. Et opera virtuoſa dicuntur veritas vitæ, 1. *q.* 17. 1. *c.*

16 Falſum contrariatur vero, & fundatur in vero, ſed non in ſuo contrario, 1. *q.* 17. 4. *o.* item 12. *q.* 64. 3. *ad* 3.

Falſum teſtimonium prohibetur octavo præcepto decalogi, 22. *q.* 122. 6. *ad* 2.

1 * Fama bona eſt nobis neceſſaria propter nos, quia eſt præcipuum bonum inter exteriora bona, quia facit idoneum ad officia humana, & præſervat á peccatis; & propter alios, ne ſcandalizentur, & malum exemplum ſumant ad peccandum, 22. *q.* 73. 2. 3. *c.*

2 Quadrupliciter læditur directe, ſcil. imponendo falſum, adaugendo peccatum, manifeſtando occulta, pervertendo intentionem. Sed indirecte dupliciter læditur, ſcilicet negando bona alterius, vel malitioſe reticendo, 22. *q.* 73. 1. *ad* 3.

3 Læditur tripliciter, ſcilicet juridice, & falſe, & manifeſtando occulta. Secundo modo, & tertio tenetur quis ad reſtitutionem, non autem primo modo, 22. *q.* 72. 2. *ad* 2. item *q.* 73. 2. *o.*

Fames, ſitis, & deſiderium in beatis, dicitur per remotionem faſtidii, 12. *quæſt.* 67. 4. *ad* 3.

1 Familiaritas cum peccatoribus vitari debet ab imperfectis propter periculum, non autem à perfectis propter fructum, 22. *q.* 25. 6. *ad* 5.

Fas proprie eſt lex divina, ſed jus eſt lex humana, 22. *q.* 57. 1. *ad* 3.

Faſcinatio eſt infectio ab oculis infectis, propter malitiam animæ, vel ex Dei permiſsione, vel cooperante fato occulto vel dæmone, 1. *q.* 117. 3. *ad* 2.

Fatue dicere, vel racha, vel iraſci, non ſunt ſpecies iræ, ſed gradus ejus. Et eſt peccatum mortale, quando peccatum interius conceptum ad effectum perducitur, ſub ratione vindictæ, 12. *q.* 46. 8. *ad* 3. *&* 22. *quæſt.* 158. 5. *ad* 3.

1 Fatum proprie eſt diſpoſitio ſyderum, qua quis eſt conceptus vel natus. Sed improprie eſt providentia Dei; ideo eſt in rebus, 1. *quæſt.* 116. *o.*

2 Dicitur à fari, quaſi effatum divinæ providentiæ, vel quia antiqui ſolebant per illud de futuris effari, 1. *q.* 116. 1. *c.* fin.

3 Non eſt qualitas, nec ſubſtantia, ſed eſt relatio multiplex, ratione effectuum, vel cauſarum ſecundarum, non autem reſpectu Dei, 1. *q.* 116. 2. *ad* 3.

4 Ratio gubernationis in mente Dei, eſt providentia, ſed in cauſis ſecundis eſt fatum, 1. *q.* 116. 1. *o.*

5 Non omnia ſubduntur fato, ſed tantum effectus cauſarum ſecundarum, 1. *q.* 116. 1. *c.* item 4. *o.*

6 Fatum reſpectu cauſarum ſecundarum eſt mobile, ſed reſpectu cauſæ primæ eſt immobile, non quidem abſolute ſed ſub conditione providentiæ, 1. *q.* 116. 3. *o.*

Febris ethica eſt intenſior aliis, licet calor ejus minus ſentiatur, quia eſt infuſa membris, quaſi complexio, 12. *q.* 29. 3. *o.*

Fœcunditas bonorum operum duplex, ſcilicet in ſe per baptiſmum, & in aliis per ordinem ſacrum, 3. *q.* 69. 5. *ad* 3.

1 Cum dicitur quod felicitas non eſt in habitu, intelligendum eſt de habitu, de quo non procedit actus. Qui enim eſt in habitu, & non in actu, ſimilis eſt dormienti. Oportet autem quod actus ille in quo fœlicitas conſiſtit, ab habitu aliquo progrediatur, ſecundum ſententiam Philoſophi. Alias operatio non eſſet delectabilis, & perfecta, 12. *q.* 3. 2. *ad* 4. fin.

2 Ultima fœlicitas hominis non quidem ſimpliciter, ſed ad quam per ſua naturalia poteſt pervenire, eſt cognitio ſubſtantiarum ſeparatarum, non quidem quidditativa, ſed quid non ſunt per ſenſibilia, 22. *quæſt.* 2. 8. *ad* 1. item *q.* 3. 7. *o.*

3 Fœlicitas magna, ſed non ultima, eſt in contemplatione ſubſtantiarum ſeparatarum, ſi perfecte intelligerentur, 1. *q.* 64. 1. *ad* 1. item *q.* 89. 2. *ad* 3.

4 Terrena conſiſtit in quinque, ſcilicet voluptate, divitiis, poteſtate, dignitate, & fama, 1. *q.* 26. 4. *c.* item 12. *q.* 2. *o.*

1 Fœmina in holocauſtis non offerebatur in veteri teſtamento, qui eſt animal imperfectum, 12. *q.* 102. 3. *ad* 9.

2 Fœmina non poteſt eſſe principium generationis activum, 3. *q.* 67. 4. *ad* 3.

3 Generatio fœminæ contingit ex intentione Dei, & naturæ univerſalis, ſed reſpectu naturæ particularis; contingit ex defectu imaginationis, vel virtutis activę, vel materię, vel propter aliquid exterius, ſcilicet venti, loci, tem-